



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

tos recuperare ab invitis non liceret; cum ex adverso reditus dequitandi, & hypothecæ dissolvendæ facultas semper superfit in reditu pecuniario, ratione pecuniæ ad rationem redimibilium reddituum constitutæ. De cuius reditus petitione Rei minus conqueri debent; ob id, quod Actores illum petant ad rationem non graviorum, sed levium usurarum, denario scilicet vicesimo; cum & tunc, & nunc in usu fuerint graviores, denario scilicet decimosexto vel decimo octavo, vel saltem non leviores, quam denario vicesimo; ut plurimum testium testimonij in hac causa probatum est. Actores itaque deferendo Reis meliorem conditionem, quam iidem Rei nondum specialiter reiecerint, non possunt dici ineptè egisse, si ad id quoque alternativè concluderint, quod simpliciter & præcisè petere non possent, in alterâ parte ejusdem alternativæ, conjungendo petitionem illius, quod ex dicto testamento præcisè solum petere poterant. Quam ineptitudinem in omnem eventum discutere debent præactæ salutare clausulæ, in dictis conclusionibus adiectæ; in suo statu & robore manente petitione illorum, quæ constat dictos Actores & petisse & petere potuisse.

Atque ita existimamus in hac causa potiores esse partes Actorum, quoad petitionem declarationis validitatis dicti prioris testamenti inter liberos conditi; & præstationis eorum, quæ ex illo Actoribus debentur, atque etiam expensarum litis. Quod Dominum Iudicem proclivius trahere debet & favor liberorum; & odium novercalium delinquentorum; & causa, quæ testatorem movit, cur sic liberis suis prospectum esse voluerit in dicto testamento; præsentibus & acceptantibus liberis confessata & declarata; à qua confessione & jure inde quæsito idem pater & testator, ex instigatione novercæ, recedere nec debuit nec potuit, *Barr. in l. cum quis decedens §. codicillis De leg. 3. Bald. in l. Rationes De probat. & in l. Creditores c. De fideicommiss. Lud. Rom. cons. 171. pro decisione nu. 7.*

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Ademptio legati.

1. Legatum sub onere relictum revocari ademptio onere.
2. Legato adiectum onus in vim modi causa legati est.
3. Legati translatio quando inducatur ex translatione oneris.
4. Legato adiecta conditio ademptio, legatum non admi.
5. Testamenti reformatio, quæ sit pertinet tantum ad reformatam, non ad alia.
6. Legatum ad pias causas sub conditione vel modo, non semper deficit ex horum defectu.
7. Exceptio rei iudicate in rei vindicatione obstat agentium ex alia causa.
8. Prescriptio quando dicitur interrupta, & quis interruptionis effectus.

Conf. Wamf. Tom. II.

CONSILIVM CCCCXXIII.

DOMINVS Cornelius Braxatoris de Weerdt, Regens Pædagogij Castrensis, in anno 1531. decimâ quintâ mensis Septembris, suum fecit testamentum; in quo inter alia voluit summam nongentorum triginta florenorum, & aliam sexaginta quinque florenorum, quos se partim in ædificationem novorum ædificiorum in dicto Pædagogio expendisse, partim pro dimissione Regentiæ ejusdem Pædagogij suo præcessori solvisse asseruit, remanere eidem Pædagogio pro fundatione duarum Bursarum; ita ut reditus emergens ex illis duabus summis, assignaretur super dictum Pædagogium, & domum scholarem propè Voeram, & aliam dicto Pædagogio proximè vicinam, &c. subiungens hæc verba: Præterea relinquo Pædagogio ex eadem causa pomarium magnum, quod emi à Godefrido vanden Bergh, & iungitur domui scholari, cum suis pertinentijs. Si tamen Pædagogium cum dictis domibus & suis pertinentijs, adhærentijs, ac pomario magno, perveniret ad eum statum, ut non posset onera ferre, per me & meos præcessores imposita, tunc contentus sum, ut tota prædicta summa nongentorum triginta, & sexaginta quinque Rhenensium concernens partem meam, sit gratis Pædagogio data in puram elemosynam propter Deum, ad utilitatem eorum, quibus in conscientia sum obligatus, si quidales inveniantur; & oro Deum, ut hanc meam ordinationem arrestare dignetur in talium utilitatem. Mortuo testatore, deprehensum est Pædagogium, dictasque domos, & adhærentia in eo statu esse, ut non possit ferre onera illarum duarum Bursarum; ideoque dicta pecuniaria summa ex posteriore succedaneo legato manserit eidem Pædagogio in elemosynam; hæredibus dicti testatoris non contradicentibus, sed in eo tacitè consentientibus; nemine etiam eorum quicquam juris ad dictum pomarium magnum prætentente: sed nunc dum post lapsos annos circiter quadraginta à morte testatoris, hæredes Domini Ioannis Steywart unius ex dictis primis hæredibus, prætendunt jus ad idem pomarium; quasi scilicet cessante causâ, in seu ob quam dictum pomarium Pædagogio legatum fuit, hoc est fundatione Bursarum, nullum sit ejusdem pomarij legatum; sed censeri debeat esse comprehensum sub residuo bonorum dicti testatoris, in quo hæredes suos instituit; aut si id dici non possit, hoc saltem admittendum non esse, quod dictum pomarium remaneat Pædagogio sine onere fundationis Bursarum. Quærit Veneranda Facultas Artium, quæ ad suam sollicitudinem hanc rem trahit, an jure contendant dicti hæredes? Respondeo sine difficultate non esse hujus quæstionis resolutionem; ob id, quod testator in posteriore parte testamenti adimendo seu remittendo onus fundationis Bursarum, videatur quoque ademisse seu revocasse legatum ipsius pomarij. Exemplo illius, quod Scavola respondit, in l. penult. §. marri De adimen. legat. quatuor prædijs matri hæredi ex parte institutæ prælegatis, ejusque fidei commissio, ut duo ex illis focero restitueret; codicillis focero adempto hoc fideicommissio, apud matrem non remanere hæc duo prælegata prædia: item quod sexaginta Tigio legatis, ut corpus testatoris curet, centum

Aa 4. adempta

adempta videri, si onus curandi corporis alij mandet, *l. Alumna §. Seia eod. tit.* Ideoque Bartolus tradit, in *d. §. Seia*, hanc velut regulam; per ademptionem oneris adjecti, etiam legatum videri ademptum; discrimine adhibito inter modum, & conditionem legato adscriptam; ut ademptio conditionis legatum purum apud legatarium relinquat, *l. Si quis servum De condit. & demonstr. l. 3. §. conditio de adimen. legat.* ademptio vero modi secum trahat, veluti in consequentiam, ademptionem legati sub onere relictæ. Quod Paulus Castrensis, in *d. l. Si quis servum*, putat verum esse, si onus consumat seu absorbeat totam vel maximam partem legati; sic ut factâ executione seu implemento modi, utilitatis nihil, vel modicum superest legatario: tunc nimirum ratione, quam tradit Cynus, in *l. Si plures nu. 9. vers. Octavo quaritur C. de cond. insertis*, & probat Bartolus, in *d. l. Si quis servum*; quod, cum onus adijcitur seu adscribitur in vim modi, legatum videatur principaliter relictum propter illum modum; sic ut onus & modus sit causa finalis ipsius legati, Cuiac. in *d. l. Si quis servum*, & legatum relictum ob modum implendum, ad cuius implementum legatario superinducitur obligatio; atque ita hinc inde constituta ultro citroque obligatione in persona hæredis, ad præstandum rem legatam; & in persona legatarii, ad sustinendum & implendum onus, si in alterius persona per ademptionem oneris tollatur obligatio implendi illius, æquum bonum quoque sit tolli obligationem: quia onus (ut inquit Cynus, in *d. vers. Octavo quaritur*,) habet se correlativè ad ipsum legatum. Quod in proposita facti specie proclivius dicendum videtur, eo quod testator in remittendo & relaxando, seu adimendo hoc onere, expressim repetierit legatum nongentorum triginta, & sexaginta quinque florenorum; volens ut illæ summæ gratis in puram elemosynam essent datæ Pædagogio, nullâ factâ repetitione seu datione pomarii magni: ita ut hoc virtute modi adempti semel ademptum, nec iterum expressè datum, ademptum manere videatur, *l. Cuius ita De condit. & demonstr.*

Verum re exactius expensâ, verius nobis videtur, ademptionem dicti pomarii nullam esse, sed adempto onere fundationis Burfarum, purum & absque onere id manere apud Pædagogium. Nam quod de ademptione legati, propter ademptum onus, tradit Bartolus, & qui cum in hoc sequuti sunt, non simpliciter & absolute accipiendum est, sed restrictus, si ademptio oneris fiat per illius translationem ad alium: ut est in specie, quam Scævola proposuit, in *d. §. Seia*, de sexaginta Lucio Titio legatis, ut testatoris corpus curaret, hoc onere ipsis hæredibus postea mandato; quia in translatione quidem est ademptio, *l. Sicut adimi cum l. seq. De adimen. legat.* sed ademptionis non idem effectus. Nuda enim ademptio perimit id, quod adimitur; at translatio etsi priori adimar, in posteriore tamen conservat ademptum. Vnde cum onus sustinere non debeat, cui nihil datur a testatore, *l. Ab eo c. De fideicom.* evidens est voluntas testatoris, quod in translatione oneris transferre quoque; & sic priori adimere

voluerit idipsum, quod propter onus suscipiendum & implendum, relictum est; qualis significatio voluntatis nulla est in nuda ademptione oneris; sed ex adverso evidens conjectura, quod ex duobus adscriptis, legato scilicet & onere, adempto onere noluerit legatum auferre, sed id cum maiore emolumento apud legatarium relinquere: tunc est in ademptione conditionis legato adscriptæ, *d. l. Si quis servum de condit. & demonstr.* etiam conditionis appositæ sit loco finalis causa. Cessante enim sic conditione non debet exspirare ipsa dispositio, Bald. consil. 478. Quidam Franciscus vol. 1. cui testator contrarias penas non appoluit.

Et hoc est, quod Glossa, in *d. §. Seia*, dicit, in specie à Scævola de onere curandi corporis in vim modi legato sexaginta aureorum adscripto propositâ; idè fieri interpretationem legati propter ademptum onus, quod id non simpliciter fuerit ademptum, sed hæredibus impositum, & Lucio Titio legatario ademptum. Quod etiam probat Dynus, in *d. l. Alumna*, dicens plurimum referre, an adimatur tantum onus, an verò id priori ademptum, alij imponatur. Quam Dyni comprobationem sequitur quoque Albericus, in *d. §. Seia*, & verum esse scribit Goffredus Saligniacus, in *d. l. Si quis servum & d. §. Seia*. Vnde Baldus dicit, in *d. l. Si quis servum*, propriam ademptionem seu amotionem non esse, cum onus uni prius adscriptum, alteri postea adscribitur, sed translationem oneris; quæ ut inutilis non dicatur, necessario secum quoque trahit legatum, propter onus alteri adscriptum. Quod dicere necesse non est, ubi adimitur, & perimitur omnino adscriptum onus; cum honor legati in eadem personâ bene stare possit sine onere, ut ab initio etiam sine onere legari.

Atque ita in proposito, cum testator onus fundationis Burfarum Pædagogio impositum, in casum impotentiae seu insufficientiae ferendi tanti oneris, sustulerit seu relaxaverit; & præterea nominatim pecuniæ legatum iterum repetierit; non potest censeri revocasse legatum pomarii, per solam relaxationem oneris. Neque quia unum ex duobus tantum repetijt, post sublatum onus, existimandus est de alio aliter disposuisse: * cum hoc generale sit in ultimis voluntatibus, quod reformatione in aliqua parte testamenti factâ, tam quoad scripturam, quam quoad res; prior voluntas perduret in his, quæ reformata non inveniuntur, *d. l. Alumna §. filius, Rolandus à Valle consil. 31. Migravit vol. 4.* Atque ita in proposito sufficit, quod pomarium, perinde ut onus, non ademerit; quodque in repetendo altero legato pecuniæ, non adjecerit se illud tantum seu dumtaxat Pædagogio velle datum esse in puram elemosynam.

Quod in re proposita idè etiam proclivius dicendum est, quod implementum huius adscripti oneris impeditum fuerit, non factò Pædagogij, aut Regentum; sed magis casu, quem testator se prævidisse, aut saltem in suspitione habuisse aperte significavit, his verbis, Si tamen Pædagogium cum domo scholari super Voeram, & suis adiacentibus, & prædicto pomario magno perveniret ad eum statum, ut non posset ferre onera per me & præcessores meos imposita: qui casus statim post mortem testatoris evenit, seu evenisse

evenisse detectus fuit; ut constat ex scripto, quod Dominus Ioannes Steyvarts dicti testatoris ex parte hares, & ejusdem Pædagogij Regens Magnifico Domino Rectori exhibuit: ob quem casum etiam Facultas Artium induci non potuit, ut pateretur Pædagogium gravari onere harum Bursarum, quas hic testator suo testamento constituit voluit. ⁶ Iam verò in iure receptum est, ut cum conditio vel modus legato adscriptus in piam causam, per supervenientem casum sine facto legatarij, impleri non potest; tunc ob deficientem conditionem vel modum, seu illius implementum, non deficiat, sed nihilominus debeat legatum, *l. Libertate De manumiss. testamento, riraq. de pia causa cap. 57.* Piam autem causam adscribendum esse, quod Pædagogio in eleemosynam, & propter Deum pro exoneratione conscientie relinquitur, dubium non est, *Tiraquel. de pia causa in præfat. præsertim* quia dictum Pædagogium sit tenuiter fundatum, & institutum sub onere alendis & docendis aliquot pauperibus Bursarijs.

Deinde quod testatoris intentio nullo modo fuerit adiuvendi, aut revocandi dicti pomarij legatum, eidem Pædagogio adscriptum, inde etiam deprehenditur, quod testator in ademptione dicti oneris, & repetitione legata pecuniæ, in eventum prædicti casus seu impotentie, aut impossibilitatis ferendi huius novi oneris duarum Bursarum, fixis & stabilibus bonis ejusdem Pædagogij adnumeraverit dictum magnum pomarium, paulò antè eidem Pædagogio legatum: quasi id in omnem eventum voluerit esse dicti Pædagogij, etiam si hoc novum onus harum Bursarum non sustineretur. Ita ut quoquo res trahatur, nulla sit æquitas, ob quam hæredes dicti M. Ioannis Steyvarts dictum magnum pomarium ab hoc Pædagogio avocare possint; quod nec ipse M. Ioannes umquam tentavit; nec in animo se habuisse, aut sic intellexisse, umquam significavit.

⁷ At nec ipsi hæredes id hætenus umquam præstiterunt; sed instituto adversus Regentem dicti Pædogij iudicio rei vindicationis, dictum pomarium coram Magistratu Lovaniensi sibi restitui petierunt, ex ea causa, quasi nulliter Pædagogio legatum esset; propter constitutionem Caroli Quinti, de non relinquendis manui mortuæ bonis immobilibus: in qua lite dictus Regens seu Pædagogium obtinuit absolutoriam sententiam; quæ dictis hæredibus ad idem pomarium agere iterum volentibus, ob stare debet, etiam si nunc peteretur ex alia causa. Exceptio enim rei iudicata, ex sententia lata in iudicio rei vindicationis, iterum eandem rem adversus eundem vindicare volenti, perpetuò obstat; etiam si ex alia causa, quam in priore iudicio expressa fuit, vindicare vellet: quia agens rei vindicatione censetur in iudicium deduxisse omne jus, quod quoquo modo ad rem prætendere potuit, *l. Et an eadem §. actiones De except. rei iud.*

⁸ Et ut ex alia causa iterum hoc pomarium vindicari posset; vindicantibus tamen dictis hæredibus, obstat exceptio præscriptionis, quod plures quam triginta, imò ferè quadraginta anni lapsi sint à morte præfati testatoris, quibus dictum Pædagogium hoc pomarium ex iusto titulo lega-

ti, bonâ fide continuè sine ulla naturali vel civili interruptione possedit; & sic exceptione adversus agentes securissimum, *l. Sicut cum alijs seqq. c. De præscript. 30. vel 40. annor. †* Et quamvis per litem institutam interrumpatur præscriptio, *d. l. Sicut §. l. Cum notissimi c. eod. tit. & actio ad quadraginta annos perpetuetur*; huiusmodi tamen interruptionis effectus restringitur ad eandem rem, causam, & easdem personas; ita ut si unum ex his tribus deficiat, nullus sit effectus huius interruptionis; ideoque interruptio per litem ex certa causa institutam, nihil operatur quoad aliam litem ex alia causa, etiam de eadem re, & inter easdem personas instituendam, *Bartol. in l. Fijum De iure fisci*; potissimum quando possessor in priore iudicio ab imperitione Actoris absolutus est: quia absolutio argumentum est continuæ bonæ fidei, *Bart. in d. l. Fijus*. Cum igitur Pædagogium, seu illius Regens semel adversus dictos hæredes absolutio à petitione huius pomarij obtinuerit; effectum rei iudicatae irretractabilem obtinere debet, minimeque pati repetitæ seu alterius executionis insultum. Atque ita exultamus ius dicti Pædogij firmum & stabile esse; nec ullam esse causam, cur formidine litis vel possessio pomarij relaxetur, vel hæredibus transactionis causa aliquid præstari debeat.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Executor testamenti unus ex pluribus.

1. Desertio appellationis unius ex pluribus facit sententiam transire quoad se in rem iudicatam.
2. Appellatio unius consortium quamdiu pro sit alijs.
3. Appellanti pluribus an unus illorum possit transigere.
4. Appellanti pluribus unus transactio non officiat alijs.
5. Sententia contra mortuum lata, non semper nulla.
6. Procurator mortuo domino an litem prosequi possit.
7. Executio testamenti pro parte tamen accipiari non potest.
8. Executio testamenti officium individuum.
9. Protestatio resolvitur contrario sequente acta.
10. Sententia de condemnando vel absolvendo non est condemnatio vel absolutio.
11. Executor testamenti, tutor, curator, quando patitur executionem sententia in causa executionis pupilli vel minoris lata.
12. Intellectus c. Ex parte 2. De appellat.
13. Executor testamenti, tutor, curator, quando cogantur etiam finito officio cause adesse.
14. Executio testamenti quo modo ad heredem transgatur.
15. Executor uno mortuo quando eius hæres possit exequi.
16. Executor testamenti quo differat à tutore.
18. Cedit potest ius executivum.
19. Cessio actionis tempore solutionis fieri potest.

CONSILIUM CCCCXXIV.

AD apertiore demonstrationem, quod petitio proposita pro parte Eximij Viri ac Domini Magistri Michaëlis du Bay, huius causæ Actoris, contra M. Ioannem Eersiel, & M. Rodolphum Martini Reos, bono iure nitatur,